

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA  
INDIAE ORIENTALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

*AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,*

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITOREM EXAMINI SUBJICIT

MARCUS COCKBURN,

Scotus,

IN CLASSE REGIA BRITANNICA,

CHIRURGUS.

---

Intus intestina exulcerantur : ex his cruor manat.  
CELSUS de Medicina, lib. iv, cap. 15.

Continuo est aegris alius color; horrida vultum  
Deformat macies. VIRG. Geor. iv, v. 254.

---

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI :

EXCUDERANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

---

MDCCCXVIII.



DISSERTATIO MEDICA

VIRIS EXIMIIS

JOANNI WAINWRIGHT

DE

COMITI PALATI

DYSENTERIA

GUILIELMO KING

ARMIGERO

SAMUEL JACSON

COMITI PALATI

D. GEORGI BARRD S. P.

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

ACADEMIAE MEDICAE PRÆSIDENTI

Præfatus

REI NAVALIS PRÆSIDENTI

IN MOBILISSIMA FACULTATE MEDICÆ DICENTIS

OMNIBUS VIRTUTIBUS PRIVATIS

ACADEMIAE IN INSIGNITER ORNATIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENTIS

322291

OB MULTA BRILLANTIA PRÆDIA COLLA



MARCO BARRD S. P.

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

MAXIMAE GUIDEM ORNAMENTARIE ET ADMIRA

TIONIS

PERREXICUM PINUS

DAT DEDICATQUE

Kalendis Augusti 1687 Jaconus regis

CHIRURGUS QUONDAM

MARCUS COCKBURN

EDINBURGI

RECTORIARIO REG. WELLSHAM ET SOCI

MDCCCLXXXVII



VIRIS EXIMIIS,  
JOANNI WAINWRIGHT,  
COMITI BALNEI,

GULIELMO KING,  
ARMIGERO,

SAMUELI JACKSON,  
COMITI BALNEI,

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

Praefectis ;

REI NAVALIS PERITISSIMIS,

ET

OMNIBUS VIRTUTIBUS PRIVATIS

INSIGNITER ORNATIS ;

OB MULTA BENEFICIA IN IPSUM COLLATA,

HAUD IMMEMOR,

HAS PAGINAS,

QUAESCUNQUE SINT,

MAXIMAE QUIDEM OBSERVANTIAE ET ADMIRA-  
TIONIS,

PEREXIGUUM PIGNUS,

DAT DEDICATQUE

CHIRURGUS QUONDAM

MARCUS COCKBURN.

VIRI ERUDITI  
JOHANNI WAINWRIGHT  
COMITI BALNEI  
GUILIELMO KING  
ARMIGERO,  
SAMUELIS JACKSON,  
COMITI BALNEI  
EX CLASSE REGIA BRITANNICA

**ERRATA.**

- P. 4, l. 18, *pro randum, lege randam.*
- 6, — 21, *pro gangraenaca or- lege gangraena cor-*
- 10, — 17, *pro ullum, lege ullah.*
- 20, — 9, *pro recini, lege ricini.*
- 21, — 6, *pro ab, lege ad.*

OMNIBUS VIRTUTIBUS TRIVITIS  
INSIGNITER ORNATIS;  
DE MULTA BRITANNIA IN LITON COLLATA  
HABITATIONIBUS  
HABITATIONIBUS  
QUALIBETQUE SINT  
MAXIMAE QUODAM OBSERVANTIAE AT ADMIRA-  
TIONIS  
PERREXIGUUM PIGNUS  
DAT DEDICATQUE  
CHIRURGO QUONDAM  
MARCUS COCKBURN.



13  
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA

INDIAE ORIENTALIS

AUCTORE MARCO COCKBURN.

OMNIUM morborum quibus corpus humanum sub-  
jicitur, nullus medici attentionem meliore sibi jure  
vindicat quam Dysenteria; seu indubiam et pro-  
tractam miseriam quam patitur aegrotans; si-  
ve latam populationum ejus extensionem, cer-  
tis anni tempestatibus, sub coelo tropico, re-  
putamus. In Indiâ tam Orientali quam occiden-  
tali, diu militum\* nostrum fortium nautarum-  
que†

\* MOSELEY on Tropical Diseases. CLARKE on the Nature  
and Cure of Fevers, &c.

† BLANE on the Diseases of Seamen.



que pestis extitit : nonnullos subito exitio tradens, in aliis affectus excitans nunquam postea ulla cautione superandos ; aegrum quidem vexare, donec vita ipsa taedio fiat, perseverantes ; atque demum miserum ad mortem exoptatam ducentes. Consilium ideo mihi est, brevem historiam progressûs et curationis hujus mali vere formidandii literis mandare ; praesertim cum occasiones haud paucae morbum tractandi in utrâque nobis Indiâ adfuerint.

### HISTORIA MORBI.

DYSENTERIA plerumque incipit, languore, lassitudine, anorexia, vultu pallido, demisso. Cutis arida contracta, quae paulatim calorem febrilem acquirit ; nausea adest, nonnunquam vomitus, sitis, lingua albida vel fulva, oris secretionem vitiata, pulsus centies pluriesque micat, contractus, durus. Iisdem signis fere coetanea, molestia quaedam in visceribus sentiri incipit, comitante flatu. Haec augescit cum desiderio dejiciendi, quod seriùs citiùsve fit urgentior ; atque examinatione factâ, quae



quae alvo descendunt parvulâ copia materiae faeculentae constare reperientur, cum muco conjuncta, nec rarò sanguine radiata.\* Dolor obtusus nunc per totum abdomen diffunditur, pressione auctus, tormina et tenesmus aggravantur; atque, seu morbus neglectus, seu sibi relictus est, spiritus, qui ante non nisi leniter affectus erat, multo fit celerior, cutis aridior, siccior, sitis magis urgens, atque liquida assumpta transitum per viscera celeriore inveniuntur. Omnia indicia febris augeri pergunt, doloribus per varias corporis partes vagari perstantibus; lingua arida, quasi ferro candente inusta: anxietas infanda, sedes crebrae et parcae, ex mixtura sanguinis, bilisque nigrae vitatae, et cum aliis secretionibus faciei intestinorum internae, compositae; atque dolore urente, vix tolerabili, excretae; vermes nonnunquam dejiciuntur, atque ad hoc tempus, urinae difficultas simul adest.

Nonnunquam etiam lentiore, magisque insidioso aditu, morbus accedit, ut lenis diarrhoea per quatuor

\* Nunquam aut scybala, aut res sebaceas in sedibus ibi gentium vidi.



tuor vel quinque dies, nec ullâ viscerum molestiâ stipante: huic supervenit cibi fastidium, sitis, cutis arida sed frigidula, lingua albida et tumidula, pulsus parvus, frequens; sed progrediente morbo, profluvium alvinum fit magis frequens et muco commixtum; tormina et tenesmus adjiciuntur qui cito tantum ingravescunt, ut nihilo minus graves, quam priore accessûs modo, sentiantur; sitis indomabilis, cutis arida, aspera, omnia febris signa aggravata; vultus abjecti, oculi graves, hebetes; conamina ad alvum vacuandum magis magisque frequentia; atque sedes ipsae parcae, nigrae, sanguinolentae, inutiles.

Modi bini, qui supra dantur, impetendi, Dysenteriam fere introducunt, qualis ferè in India Orientali occurrit; atque seu neglecta fuerit, seu remediis cedere neget, aeger ad conditionem verè deplorandum redigitur, perpetuis tenesmis et torminibus vexatus, prolapsum ani et partis recti inferioris exulcerationem quoque patitur; quiescendi pro minimo tempore impotens est, ventriculus quoque quidquam retinendi; exacerbationes vespertinae superveniunt sudoribus profusis exceptae. Tormina nunc paulatim subsident, sedes liquescunt,



cunt, foetore vacuae, aquae sordidatae subsimiles, atque facilitate nunc majore dejectae. Haec tamen non nisi fallacia sunt, mortem adventare reverâ indicantia; cito enim abdomen tumet, sudores gelidi, atque membra frigida sequuntur, lingua nigra, arida, cum muco sordido tenace dentibus adherente, singultus, subsultus tendinum, delirium mite mussitans, universa telae cellulosa contractio; sedes non sponte dejectae, color cadaverosus ab omni parte exoriens, conclamatum esse denunciant.



### CADAVERIS INSPECTIO.

CORPORA quae incidere mihi contigit, signa ferè eadem morbida exhibuerunt. Hepar nisi uno alteroque exemplo sanum; in exceptis, notae inflammationis, sed leves in lobo dextro qui peritoneo tenuibus fibrillis adhaerebat, adparuerunt.

Vesica fellis naturalis plerumque magnitudinis, parvam copiam bilis nigrae vitatae sistens.

Omentum



Omentum inflammationis notas indubias praese ferebat; nec raro fibrarum nexus tenues adhaesionem hujus cum peritoneo et intestinis indicabant.

Totus canalis alimentarius flatu distentus; ventriculi duodeni, et jejuni fabrica illaesa; atque ileum, a superiore parte in inferiorem vestigatum, demonstrabat partem quidem superiorem incolorem; sed mediâ parte, vel paulo inferius, innumerae parvae maculae exulceratae adparere incipiebant; paulatim, oculo sursum procedenti, evanidae; deorsum vero vergenti ad terminationem hujus augescentes, hujus intestini quidem terminus violentas inflammationis notas demonstravit.

Caput coecum coli, valde inflammatum atque ulceratum, mucum crassum flavidum, cum fusco sanioso, commistum, multum continens.

Colon et rectum nimis miserabiles à morbo effectus demonstrabant. Cavum utriusque amplis ulceribus fuit contectum, tunicae densatae contractae, atque plurimis in locis gangraenae orreptaere



reptae : cellae muco crasso et pure, cum sanioso et nigro commixto completae.

Mesenterium et mesocolon multum inflammantur, atque glandulae utriusque mole exauctae, plures ex iis aliquid purulenti habentes.\*



### CAUSAE PRAEDISPONENTES.

DEBILITAS utcunque inducta, ad Dysenteriam, hominem proclivem dare potest ; ipsa verò efficiatur longâ, in regione calidâ, commoratione, vitâ parum temperatâ, quarum utraque mirum in modum vias primas infirmare tendunt, ideoque huic morbo proclivitatem conciliant.

Exhaustio virium a labore graviore, affectibus animi deprimentibus, debilitate morborum priorum, praesertim ab impetu Dysenteriae priorae ;  
qui

\* CLARKE on the Nature and Cure of Fevers, &c. Memoriae tradidit se plurimas corporum dissectiones vidisse, phaenomena fere eadem ac superiora exhibentes.



qui constitutionem recidivae valde pronam reddit, modo causae excitantes admotae fuerint.

### CAUSAE EXCITANTES.

ETIAMSI nonnullae ex causis supra dictis praedisponentibus, ad excitantium classem quoque referri possint; intelligendum nihilominus est, me eas sic designasse non nisi antequam ad id vehementiae venerunt, quo morbum generant.

Pluvii Indiae Orientalis, continui fere per quatuor vel quinque dies apparent. Haec tempestas, brevi serenitatis intervallo, excipitur. Alternationes hujusmodi, per totos menses pluviosos, existunt, ubi terra non prorsus aqua inundatur, sol materiam mortuam, tam animaleam quam vegetabilem, nunc imbribus madefactam, vehementer afficit, adeo ut exhalationes noxiae copiosè in aëre tum diffundantur, quae nunquam non causae potentissimae et febris et Dysenteriae existunt. Sed pluviis ex toto cessatis, quum sol, impedimentis amotis agit, haec miasmata quasi condensata morbum



bum necem undique disseminant inter miseros efficaciae eorum patefactos.

Calor nimius interdiu, frigoribus noctu humidis succedentibus, causa frequens est.

Frigus et humor quomodocunque admota, somnus aut vestibus in madidis, aut pleno Jove nocturno, aut roribus expositus; quae omnia excretionem per cutem cohibent, raroque non dysenteriam inducunt.

Aqua insalubris, cibus ineptus vel pravus, usus liquorum ardentium parum temperatus, valde prona sunt ad morbum inducendum, in iis qui infirmati fuerint aut a febre, hepatitide, aliâve viscerum affectione. Huic adjiciatur usus parum prudens frugum nimius.

#### CONTAGIO.

Nunquam seu in Orientali, seu in occidentali India, aut vidi aut audivi exemplum dysenteriae quod ad contagionem usque vestigari posset; at-

B

que



que persuasissimum habeo, nullam ejusmodi causam inter tropicos contingere.\*

#### HEPATITIS.

Apud plurimos medicorum in Indiâ opinio est, dysenteriam et Hepatitidem indissolubiles esse, idemque vitium existere, diversè tamen affectum. Nemo quidem dubitare potest, quin in vetustioribus quibusdam exemplis Dysenteriae et Hepatitidis, isti morbi secum mutuò alternent, quum indicia alterius recedunt, alterius succedunt; sed hoc facile explicabitur a directâ communicatione aut consensu, qui existit inter duo adeo vitae necessaria organa. Duo isti morbi certè fortuitò simul adsint eodem aegro; post autem strictissimam ad rem attentionem, in plurimis Dysenteriae exemplis, et pauculis tantum exceptis, nunquam potui detegere in eâ ullum Hepatis affectionem; et ex diverso, in Hepatitide, indicia Dysenteriae rarissimè apparent.

CAUSA

\* “As to contagion from infection in the Dysentery, I must confess I never saw an instance of it.”—MOSELEY on Tropical Diseases. Ed. 4to. p. 285.



## CAUSA PROXIMA.

CAUSA proxima Dysenteriae a variis medicis perspirationi suppressae\* attributa est; aliis, Fibris musculosis intestinorum constrictis;† aliis, Inflammationi.‡ Quum tamen multum incerti et difficilis semper oriatur sub investigatione causarum proximarum, consilium nobis est non ullâ Dysenteriae theoriâ periclitari. Contentus ero phaenomena morbi, et quae, corpore patefacto, indubia apparent, literis tradere; hoc ipsum etiam non conaturus, nisi *methodi* aliquid curationi praebiturum esset.

Nemo inficias ibit, qui morbo nostro versatus  
est,

\* Dr. MOSELEY on Tropical Diseases.

† Dr. CULLEN's First Lines.

\* HARTY refert "to an inflammatory action in the innumerable exhalent vessels, which open on the inner coat of the intestines."—HARTY on Dysentery, p. 35.

CLARKE on the Nature and Cure of Fevers.—Haec habet verba, p. 49. "That the proximate cause of this disease (Dysentery) is an inflammation of these parts (the great intestines) I account absolutely certain, having, on dissection, constantly found it to be so."



est, quod motus sanguinis deficiens, languens, atque sicca simul et contracta cutis; etiam anxietas et plenitudo praecordiis percepta; ante omnia dolor obtusus per totam abdominis superficiem pressu leniore intensus, demonstrat magnam sanguinis congestionem accidisse in partibus internis. Hoc equidem eò probabilius fit, ab auctâ mucii secretionem, sanguine mixtâ, quam vasa extrema tunicae intestinorum interioris profundunt.

A morbidis quoque signis suprâ dictis dissectione patefactis, manifestum est, inflammationem adfuisse in aliquo morbi tempore. Haec causa aliis, effectus aliis apparet; utra verò opinio accuratior sit, pathologis doctioribus dijudicandum relinquo. Verisimile utique videtur, causas singulas, huic morbo olim attributas, nonnunquam conjunctim agere potuisse.\*

SIGNORUM

\* Clarissimus GREGORIUS scripsit. "Videtur oriri (Dysenteria) a constricta parte intestinorum, et quodammodo inflammata inferiore, quo fit ut haec, quamvis multum irritata, nihil ferè demittere possint,"—*Conspectus Medicinae Theoreticae*. Ed. 5to, 668.



## SIGNORUM QUORUNDAM RATIO.

TORMINA, spasmis fibrarum violentis, aut ab acribus admotis, aut ab actione vasorum ipsorum nimiâ, excitatis, attribuantur. Iisdem quoque causis secretio mucii aucta referatur.

Summae cutis pallor, atque anxietas morbum comitans, oriuntur, ille a motu sanguinis per cutem languente, haec ab oppressione, sanguinis congestionem in vasis interioribus, effecta.

Meiendi difficultas, vehementi nisui fibrarum musculosarum prope rectum et vesicam, quo huius cervix comprimitur, imputanda est.

Abdominis tumor, ultimo morbi stadio occurrens, die unâ alterâve ante mortem, manifestè pendet ab aëre, per gangraenam intestinorum, extricato.

PROGNOSIS.



## PROGNOSIS.

PRIMO Dysenteriae impetu, quum aeger olim sanae corporis constitutionis, vitaeque temperatae fuit; quum febris et tormina non vehementes admodum sunt; aut si morbus jamjam adparuit, prognosis erit fausta. Sed in corporibus debilitatis ab longâ in regionibus calidis commoratione; aut in iis qui liquoribus ardentibus se indulserunt; ut et in iis qui morbo prius laboraverint, quum accessus quisque subsequens prioribus multo periculosior habendus sit, praesagium haud sine multâ cautione proferendum est.

Quum morbus longè progressus fuerit, cum exacerbationibus vespertinis, atque delirio miti musitante, cum tormina atque tenesmus sunt valdè vehementes, cum dejectionibus nigridis et aquosis, multo sanguine commixtis, tunc judicari potest ulcerationem perniciosam factam fuisse in intestinis, atque certissimum est aegrum in maximis periculis versari.

Exempla Dysenteriae, ubi difficile vel forsâ impossibile est corpus hydrargo afficere, semper  
naturae



naturae maximè periculosae sunt, atque hoc in exactâ ratione difficultatis quâ corpus illo medicamento afficitur.

Neque necessarium est notare, quod sedes stercorae factae, cum torminibus cessatis, atque leni calidâ perspiratione per totum corpus apparente, praesertim ubi gingivae hydrargyro afficiuntur, omen felicissimum constituunt.

### CURATIO.

Sub capite causae proximae dictum fuit, quod congestio sanguinis fiat in vasis corporis interioris, quodque inflammatio in aliquo tempore hujus morbi occurrat. Haec naturaliter cuiquam viam curationis sequendam indicabunt; nimirum aequilibrium sanguinis, quantum in nobis est, restituere, atque inflammationem illam, qualemcunque praecavere. Venaesectio,\* ut omnes confitentur, primus

\* "Bleeding being an operation of great importance in flux, the cure is generally begun with it, repeating it as symptoms authorise."—MOSELEY, p. 247.



primus et efficacissimus modus est, ad utraque haec duo peragenda.

Commoda quidem a venaesectione aegri sub gravibus torminibus et tenesmo laborantis, vix quidem momento saepè quiescentis, verè mirabilia sunt. Haec duo molestissima signa, fiunt comparatè leviora; pulsus expandit, mollescit, vultûs lineamenta multo minus anxia. Post sanguinis abstractionem, modus olei ricini, aut salium mediorum alicujus, administrandus est; medicamento quodam sudorifico, ut pulvere ipecacuanhae cum opio, subsequente. Haec remedia, si effectum proprium inducunt, haud raro morbum ad felicem terminationem ducunt; quod tamen, longe plurimis exemplis non sperandum est; atque necessarium erit ad alios modos confugere, ut sanitas reducatur. Nisi enim morbus in ipso limine cohibeatur his medicamentis, parum, vel nihil commodi postea, ex eorum usu solo, parabitur.

Alius effectus bonus a venaesectione derivabitur, certè haud mediocris momenti; depletio nimirum ab eâ inducta per totum corpus, quâ vasa  
absorbentia



absorbentia multo avidiora reddit ; atque hinc hydrargyrus, a cujus actione curatio morbi vel praecipue pendet, os multo citius quam alias accidisset, afficere solet.

His dictis apparebit, primam rem faciendam, in Dysenteria regionum tropicalium, esse sanguinis missionem, secundum aegri aetatem et constitutionem. Viro mediocri roboris, viginti vel viginti quinque unciae imprimis, ferè sufficient ; sed iterum iterumque tutò repetetur, secundum indiciorum vehementiam. Etiam in imbecillissimis, ubi signa violenta sunt, atque hydrargyrus non efficaciam suam cito impertit, paucularum unciarum detractio actionem ejus in corpore plerumque accelerabit.

Sanguinis missi utilitas in Dysenteriâ à multis in dubio vocetur ; licet, sed persuasissimus sum, neminem, qui experientiae testimonio rem subji-  
ciat, non brevi sibi satisfacturum esse de insigni commodo ab usu ejus proveniente ; neque unquam postea, usum ejus, in regionum Dysenteriâ calidarum, relicturum. Longâ quidem experientiâ con-  
e  
fusus



fishus, ferè nullo non exemplo recentis Dysenteriae usui commendarem.

Post sanguinis missionem, purgantium et sudorificorum ministrationem, si morbus non omninò vincatur, nos ad calomelas nunc confugere oportet; quod unum est ex efficacissimis auxiliis, in omnibus ferè morbis, zonae torridae propriis. Hoc tutò in omnibus Dysenteriae stadiis fidatur, seu mitissimâ formâ, seu virulentissimâ. Etenim si morbus longè progressus sit, hoc solum medicamentum est, quod noverim, impetum ejus cohibere valens; si modò hoc propositum nostrum sit. Haud minus quidem, in Dysenteriâ regionum calidarum, SPECIFICI nomine dignum est, quam quodcunque aliud remedium hac appellatione condonatum.

Quae autem sit theoria actionis hydrargyri, in Dysenteria, haud explicare conabor;\* sed certum est,

\* “ The preparations or oxydes of mercury, in the cure of the venereal disease, seem to act by their increasing the absorption of the matter in the ulcers it occasions.”—DARWIN’S Zoonomia. Ed. 3tio, vol. 2, p. 503.

An vero hoc in Dysenteria fiat, ambiguum admodum videtur.



est, signa morbi celerrime evanescere, postquam corpus semel actioni hydrargyri paruerit.

Plerisque exemplis sat erit, duo vel tria grana calomelanos opio conjuncti, exhibere; tertiâ vel quartâ quâque horâ; sed in formâ morbi vehementiore, doses multò ampliores exhibendae sunt; quin et aliquando necesse sit sex vel etiam duodecem grana, tertiâ omni horâ assumere; atque hoc sine ullo vel minimo periculo; actio quoque adjuvanda est, frictionibus ex unguento hydrargyri. Calomelanos exhibitione constanter perseverandum erit, donec gingivae aegri affecti fuerint, vel donec tormina evanescant, atque sedes stercoreae dejiciantur; quae res fere contemporaneae erunt, cum actione hydrargyri. Hic tamen non nimis subito derelinquendum erit, sed irritatio per aliquod tempus conservanda, dosibus medicamenti parvulis, ut certiores de curatione fiamus.

Inter totum tempus calomelanos exhibiti, utile erit aegro, decubitûs horâ, quâque nocte, portionem pulveris ipecacuanhae cum opio, exhibere, ut superficiei relaxationem inducat, quae maximi momenti est in morbo tractando.

Postquam

Postquam os probè affectum fuerit, haud multum ultra fieri manet, sed continere aegrum ne frigori semet objiciat, atque debito victûs sui regimini dare operam ; potus diluentes exhibere, et cutem relaxatam tenere. Nonnunquam tamen accidit, ut tormina quodammodo maneant, post oris solutionem, quod forsân oriri potest ab acrimoniâ aliquâ, cavitatem intestinorem teneram irritante, sed uncia olei recini communis, vel salis cujusdam leniùs purgantis, id ferè removebit.

Opii usus omninò necessarius est, in hoc morbi tempore, et irritationem sedare et somnum allicere ; atque repetendus est pro portione laxitatis in viis primis existentis. Necessarium quoque invenietur opium, sub hac vel illâ formâ, donec alvi profluvia solitam crassitudinem nanciscantur ; crebrò enim accidit, post longam gravemque Dysenteriam, quod intestina relaxata aliquandiu postea manebunt. Pulvis rhei, ipecacuanhae, cretae ; omnes tamen plus minusve opio conjuncti, vigorem partium restaurare tendunt.

Amara quoque, veluti infusa quassiae vel columbae, aut sola, aut acido nitroso diluto acidula, utilissima



utilissima reperientur, in aegris Dysenteriâ infirmatis. Atque, notandum est, omnia astringentia remedia variari debent; et, simul atque unumquodque effectum in corpus proprium amiserit, aliud vice ejus substituatur.

Quod ab cinchonam attinet, in aegris a Dysenteriâ convalescentibus, seu pulvere, seu infuso, seu decocto exhibitam, haud temerè confirmare possum, me nunquam quidquam boni inde vidisse, neque rarè injuriae multum, ventre nimirùm tumefacto, qui tumor diu postea manserit.

Sub morbi decursu, nonnunquam necessarium erit alia remedia ut auxiliaria adhibere, etiam si nullum permanens beneficium indè oriri probabile sit: nec aliquid nisi praesens aegro cruciatûs solamen. Hujusmodi sunt, fomenta ventri superimposita, balneum calidum, enemata, mucilaginosâ, aut enemata opio conjuncta. Multum commodi ab epispasticis, abdomini admotis, me unquam percepisse, vix dicere ausim; doloris et molestiae multum aegro facessunt; nec solatium afferunt satis constans, quale his incommodis compensaret.

Frequens



Frequens ani, partiumque vicinarum fatus, in morbi progressu, praesentissimum fuit remedium: multum quoque adjuvit vigorem et tensionem partibus restituere, ut homo convalesceret.

Simul atque Dysenteriâ aliquis se tentari sentit, indusium illico laneum induere oportet; aut fasciam laneam abdomini circumdare; atque retinenda haec sunt per aliquod spatium post sanitatem reductam.

Victui hominis Dysenterici prae omnibus attendendum est. Potus aqua ex hordeo aut oryzâ, infuso lini debili, et similibus constare debet; cibus ex sago, tapioca, marantae arundinaceae radice, jure, ex carne sine herbis decocto; quibus omnibus pauxillum aromatici cujusdam haud inutiliter adjicitur.

Quando, ex repetito Dysenteriae insultu, vel uno gravissimo ejus accessu, intestina in illam conditionem relaxatam degenerant, quâ morbus formam vetustam assumit, diuturnus usus calomelanos, portionibus refractis, adeo ut vim suam in gingivas aegre ostendat, sanationem nonnunquam efficiat. Crebrò tamen remediis omnibus resistitur



resistitur, totique ordini astringentium; ex quibus efficacissimum, quantum ipse inveni, erat infusum ex cortice interiore punici granati, atque hoc etiam, postquam aeger per aliquod tempus ei assueverat, effectus solitos destitit. Ob haec adductus sum, ut crederem, morbum sublevari quidem medicamentis posse, sed solum remedium efficax fore aegrum ad regionem temperatam quam primum ablegare; ubi victus ritè temperatus, exercitatio lenis, veluti equitatio; vestitus laneus, atque demùm opiata, aegri valetudini restituentendae vehementer favebunt.\*

\* Trotter, in Medicina Nautica, vol. i, p. 385, dicit,—  
 “Riding on horseback, with other active exercises, and flannel clothing, have done more in Chronic Dysentery than any remedy I have seen tried.”

FINIS.



resistit, totique ordini assignantur; ex quibus  
 effectus solitos desinit. Ob haec videtur non, ut  
 crediderit, motum sublevari quidem in hanc

### HEPATITIDE

ad regimen temperatum quam primam ab-  
 gant; ubi videtur illud temperatum, exercitatio se-  
 ctore GULLIELMO CONNOLLY

Quoniam cuique, qui in hac Academia celebratus  
 gradum doctoris medicinae consequi nititur, solen-  
 ter sit, dissertationem de re parva medica in lucem  
 edere mihi iussit, in vestigiis praeteritum  
 quamvis haud passibus aequis haerere oportet. In  
 medicina illam rem praecipuam quae excellentis-  
 sime praestiterit, atque difficile est, ut omnia  
 ad haec pertinere videntur, ad dolorem levem  
 lum scilicet, et ad sanitatem contrahendam.  
 Ut alimenta sanis corporibus agricolturae, sic sa-  
 nitatem aegris medicinae promittit. Mihi vero in-